



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia**

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Complectens Quæstiones, Qvæ Dispvatæ Dicvntvr, & Quæstiones  
Quodlibetales, siue Placitorum eiusdem S. Thomæ

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Venetiis, 1593**

Vtrum liberum arbitrium hominis in statu viæ possit confirmari in bono.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72780)

trium creature in bono confirmatum esse non potest; quia in natura sua non habet perfecti & absoluti rationem boni: sed cuiusdam boni particularis: huic autem bono perfecto & absoluto. scilicet Deo, liberum arbitrium per gratiam vnitur. vnde si fiat perfecta unio, ut ipse Deus sit liberi arbitrii, tota causa agendi, in malum flexi non poterit. Quod quidem in aliquibus contingit & precipue in beatis, quod sic patet. Voluntas naturaliter tendit in bonum, sicut in suum obiectum: quod autem aliquando in malum tendat, hoc non contingit, nisi quia malum sibi sub specie boni proponitur. Malum enim est in uoluntarium, ut Dion. dicit 4. cap. de diu. nom. Vnde non potest esse peccatum in motu uoluntatis. scilicet quod malum appetat, nisi in apprehensa uirtute defectu preexistat per quem sibi malum, ut bonum, proponatur. Hic autem defectus in ratione potest dupliciter accidere. Vno modo, ex ipsa ratione. Alio modo, ex alio intrinseco, ex ipsa quidem ratione; quia inest ei naturaliter & immutabiliter sine errore cognitio boni in uniuersali, tam boni quod est finis, quam boni quod est ad finem, non autem in particulari: sed circa hoc errare potest, ut aestimet aliquid esse finem quod non est finis, uel esse utile ad finem, quod non est utile. & propter hoc uoluntas naturaliter appetit bonum, quod est finis. scilicet felicitatem in generali, & similiter bonum quod est ad finem: unusquisque enim naturaliter appetit utilitatem suam: sed in hoc uel illo fine appetendo: aut hoc uel illo utili eligendo incidit peccatum uoluntatis; sed ex aliquo extrinseco ratio deficit, cum propter uires inferiores que intensae mouentur in aliquid, interceptur actus rationis, ut non limpide, & firmiter suum iudicium de bono uoluntati proponat, sicut cum aliquis habens rectam existimationem de castitate seruanda per concupiscentiam delectabilis appetit contrarium castitati, propter hoc quod iudicium rationis aequaliter a concupiscentia ligatur ut Philosophus dicit in 7. Ethic. Merque autem istorum defectuum totaliter a beatis tollitur ex coniunctione ipsorum ad Deum. Nam diuinam essentiam uidentes cognoscent ipsum Deum esse finem maxime amandum; cognoscent etiam omnia que ei uniunt, uel que ab eo disungunt in particulari, cognoscentes Deum, non solum in se, sed prout est ratio aliorum. & hac cognitionis claritate in tunc mens roborabitur, quod in inferioribus uiribus, nullus motus insurgere poterit, nisi secundum regulam rationis. Vnde sicut nunc immutabiliter bonum in generali appetimus, ita immutabiliter in particulari bonum debemus appetere beatorum mentes. Super naturalem autem inclinationem uoluntatis erit in eis charitas perfecta, totaliter ligans eos cum Deo. Vnde nullo modo in eis peccatum incidere poterit, & sic erunt per gratiam confirmati.

**A**d primum ergo dicendum, quod hoc est ex defectu nature creature, quod in malum flexi potest, & hunc defectum auferit percipiendo naturam gratia confirmans in bono sicut lux superueniens aeri auferit obscuritatem eius, quam naturaliter sine luce habet.

**A**d II. dicendum, quod si in potestate liberi arbitrii est non uti habitu: tamen potest hoc ipsum, quod est non uti habitu sibi proponi sub specie boni, quod de gratia in beatis accidere non potest, ut dictum est.

Et per hoc patet solutio ad tertium.

**A**d III. dicendum, quod ex hoc quod liberum arbitrium est ex nihilo, conuenit ei quod non sit naturaliter confirmatum in bono, nec hoc ei per

gratiam concedi potest, ut in bono naturaliter per gratiam confirmatum sit. Non autem liberum arbitrium, secundum quod est ex nihilo conuenit, quod nullo modo possit confirmari in bono, sicut nec acri ex natura sua inest quod nullo modo possit illuminari: sed quod non sit naturaliter lucidus actus.

**A**d v. dicendum, quod Bernardus loquitur de libero arbitrio, quantum ad libertatem a coactione, quae nec intentionem, nec remissionem recipit.

**A**d vi. dicendum, quod eius quod recipitur in aliquo potest considerari, & esse, & ratio. Secundum quidem esse suum est in eo, in quo recipitur per modum recipientis: sed tamen ipsum recipiens trahitur ad suam rationem, sicut calor receptus in aqua habet esse in aqua per modum aque, in quantum. Inest aquae, ut accidens subiecto: tamen aqua trahit a naturali sua dispositione ad hoc, quod fiat calida & faciat actum caloris, & similiter lux aerem, licet non contra naturam aeris. Ita & gratia secundum esse suum est in libero arbitrio per modum eius, sicut accidens in subiecto: sed tamen ad rationem suam immutabilitatis liberum arbitrium pertrahit ipsum Deo coniungens.

**A**d vii. dicendum, quod bonum perfectum quod est Deus, potest esse unitum menti humanae per gratiam, non autem per naturam. & ideo per gratiam liberum arbitrium potest confirmari in bono; non autem per naturam.

ARTICVLVS IX.

*Utrum liberum arbitrium in statu uiae possit in bono confirmari.*

**N**ono queritur, utrum liberum arbitrium hominis in statu uiae possit confirmari in bono. & uidetur quod non; principium enim in appetibilibus est finis, ut Philosophus dicit in 7. Ethic. sicut principium in speculatiuis sunt dignitates: sed in speculatiuis intellectus non confirmatur in ueritate certitudinem scientie accipiens, nisi facta resolutione ad primas dignitates. ergo nec liberum arbitrium potest confirmari in bono, nisi postquam uenerit ad ultimam finem: sed hoc non est in statu uiae. ergo liberum arbitrium in statu uiae non potest confirmari in bono.

**¶ 2. Prae.** Natura humana non est potior quam angelica: sed angelis non est collata confirmatio liberi arbitrii ante statum glorie; ergo nec hominibus conferri debet.

**¶ 3. Prae.** Moror non quietatur nisi in fine; sed liberum arbitrium non peruenit ad finem suum, quandiu est in statu uiae. ergo nec eius mutabilitas quietatur, quin possit in bonum & malum ferri.

**¶ 4. Prae.** Quandiu aliquid est imperfectum, potest deficere: sed imperfectio ab hominibus non tollitur, quod diu sunt in statu uiae; uideamus. nunc per speculum in enigmate, ut dicit 1. Cor. 13. ergo quandiu homo est in statu uiae, potest deficere per peccatum.

**¶ 5. Prae.** Quandiu aliquis est in statu merendi, non debet sibi subtrahi quod meritum auget: sed potest peccare ad meritum proficit. Vnde in laude iusti uiridis eel. 31. qui potuit transgredi & non est transgressus, facere malum & non fecit. ergo quandiu homo est in statu uiae, in qua potest mereri, non debet liberum arbitrium eius confirmari in bono.

**¶ 6. Prae.** Sicut defectus liberi arbitrii est peccatum, ita defectus corporis est corruptio: sed corpus hominis non fit incorruptibile in statu uiae. ergo nec in statu uiae liberum arbitrium hominis potest confirmari in bono.

**S**ED CONTRA est, quod beata uirgo in statu uiae confirmata fuit in bono. nam de ea, ut dicit Augustinus, cum de peccatis agitur, mentio fieri non debet.

¶ 2. Prae.

¶ 2 Præ. Apostoli per aduētum Spiritus sancti confirmati fuerunt in bono, ut videtur per hoc quod dicitur in psal. 74. ego confirmaui columnas eius, quod glo. de apostolis exponit.

RESPON. Dicendum, quod aliquis potest confirmari in bono dupliciter. Vno modo simpliciter, ita. scilicet quod habeat in se sufficiens suæ firmitatis principium, quod omnino peccare non possit, & sic beati sunt confirmati in bono ratione prius dicta. Alio modo, dicuntur aliqui confirmati in bono per hoc, quod eis datur aliquod munus gratiæ, quo ita inclinantur in bonum, quod non de facili possunt a bono deflecti: non tamen per hoc ita retrahuntur a malo, quin omnino peccare non possint, nisi diuina prouidentia custodiat: sicut dicitur de immortalitate Adæ, qui ponitur immortalis, non quod omnino aliquo sibi intrinseco protegi possit ab omni exteriori mortifero, utpote ab incisione gladij & alijs huiusmodi: a quibus tamen diuina prouidentia conseruabatur. & hoc modo aliqui in statu uiaæ possunt confirmari in bono, & non primo, quod sic patet. Non enim potest aliquis omnino impeccabilis reddi, nisi omnis origo peccati auferatur. Origo autem peccati est, vel ex rationis errore, qui in particulari decipitur circa finem boni, & circa utilia, que in vniuersali naturaliter appetit, vel ex hoc quod iudicium rationis intercipitur propter aliquam passionem inferiorum uirium. Quamuis autem alicui uiatori concedi possit, ut ratio nullatenus erret circa finem boni & circa utilia in particulari per dona sapientiæ & consilij: tamen non possit intercipi iudicium rationis, excedit statum uiaæ propter duo. Primo, & principaliter: quia rationem esse semper in actu rectæ contemplationis in statu uiaæ, ita quod omnium operum ratio sit Deus, est impossibile. Secundo; quia in statu uiaæ non contingit inferiores vires ita rationi esse subditas, ut actus rationis nullatenus propter eas impediatur, nisi in Domino Iesu Christo, qui simul uiator & comprehensor fuit: sed tamen per gratiam uiaæ ita potest homo bono astringi, quod non nisi ualde de difficili peccare possit per hoc, quod ex uirtutibus inferioribus uires refrenant, & uoluntas in Deum fortius inclinatur, & ratio perficitur in contemplatione ueritatis diuinæ, cuius continuatio ex seruire amoris proueniens hominem retrahit a peccato: sed torum quod deficit ad confirmationem completur per custodiam diuinæ prouidentia in illis, qui confirmati sunt, ut scilicet quæ occasione peccati se ingerit, eorum mens diuinitus excitetur ad resistendum.

AD PRIMUM ergo dicendum, quod affectus peruenit ad finem, non solum quando finem perfecte possidet: sed et quodammodo quando ipsum intente desiderat, & per hunc modum aliquo modo in statu uiaæ aliquis potest confirmari in bono.

AD II. Dicendum, quod dona gratiæ non sequuntur ordinem naturæ de necessitate. & ideo quæuis humana natura non sit angelica dignior, tamen alicui homini collata est maior gratia quam alicui angelo, sicut beate uirgini & homini Christo. Confirmatio autem in bono beate uirgini competebat: quia mater erat diuinæ sapientiæ, in quam nihil iniquitatum incurrit, ut dicitur Sap. 7. Similiter Apostolos decuit: quia erant quasi fundamentum & basis totius ecclesiasticæ edificij: unde eos firmos esse oportuit.

AD III. Dicendum, sicut ad primum.

AD IIII. Dicendum, quod ratio illa potest haberi, quod non est aliquis in statu uiaæ omnino confirmatus, sicut nec omnino perfectus: sed aliquo modo po-

test dici confirmatus, sicut & perfectus.

AD V. dicendum, quod posse peccare non facit ad meritum: sed ad meriti manifestationem & iniquitatum ostendit opus bonum esse uoluntarium. Ideo inter laudes uiri iusti ponitur: quia laus eius in uirtutis manifestatio.

AD VI. dicendum, quod corruptio corporis materialiter facit ad meritum, in quantum ea aliquo patienter utitur. & ideo homini in statu meriti existenti per gratiam non auferatur.

AD ALIA quæ sunt in oppositu præter solutionem ex dictis.

ARTICVLVS X.

Utrum alicuius creature liberum arbitrium in modo obli-

scitum, uel immutabiliter firmatum esse uoluit.  
**G**DEMO queritur, utrum liberum arbitrium alicuius creature possit esse obliuiscitum in malo, uel immutabiliter firmatum. & uidetur quod non. Peccatum enim, ut dicit Augustinus de ciuit. Dei, est contra naturam: sed nihil quod est contra naturam, est perpetuum secundum Philo. in principio Celi & Mundi. ergo peccatum non potest perpetuo in libero arbitrio permanere.

¶ 2 Præ. Natura spiritualis est potentior, quam corporalis: sed si nature corporali superinducatur, quod accidens præternaturale, redit ad id, quod est sue nature conueniens, nisi illud accidens superinductum aliqua causa continue agente corroboratur: sicut si aqua calefiat, redit ad frigiditatem naturalem, nisi sit aliquid perpetuo conseruans caliditatem. ergo & natura spiritualis liberi arbitrij est contigita incidere in peccatum, non perpetuo remanebit subdita peccato: sed quandoque ad suam iustitiam redibit, nisi assignetur aliqua causa que perpetuo malitiam in eo seruet: quam non est esse, ut uideatur. sed dicendum, quod causa peccati inducens & conseruans est, & interior, & exterior: interior est ipsa uoluntas. exterior est ipsius uoluntatis obiectum, quod scilicet alicuius peccatum.

¶ 3 Sed contra, res que est extraneum animæ, est bonum autem non potest esse causa mali, nisi per accidens. ergo res extraneum animæ existens, non est causa peccati nisi per accidens: omnis autem causa per accidens reducitur ad causam per se, & hoc oportet ponere aliquid quod sit per se causa peccati, quod non potest esse nisi uoluntas. Voluntas autem quando ad aliquid inclinatur, remanet in inclinatura, quod adhuc in oppositum tendat, cum in in quod inclinatur, suam naturam ei non tollat: quia in opposita potest. ergo nec uoluntas, nec aliquid aliud potest esse causa faciens liberum arbitrium peccato immobiliter, & quasi necessario adherere.

¶ 4 Præ. Secundum Philo. in 5. Meta. duplex est necessarium, quoddam a seipso, quoddam a alio necessitatem habens: peccatum autem esse in libero arbitrio non potest esse necessarium, sicut id, quod est necessitatem a seipso habens: quia hoc scilicet Dei est, ut A. uic. dicit, nec iterum est necessarium quasi ab alio necessitatem habens: quia omne inuisummodi necessarium reducitur ad id, quod est seipsum necessarium; Deus autem causa peccati se non potest. ergo nullo modo potest esse necessarium liberum arbitrium in peccato posse permanere, & sic nullum liberum arbitrium creaturæ immobiliter peccato adheret.

¶ 5 Præ. Aug. in 5. de ciuit. Dei uidetur dupliciter necessitatem distinguere, quarum una admittit libertatem, faciens non esse aliquid in præter nos, quæ dicitur necessitas coactionis: alia est que libertatem non admittit, quæ est naturalis inclinatio: nec necessitate.

Ser. linea-  
ris ibi.

In ar. præc.

D. 23.